



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

tantur, hereditatem accipiamus promissionis: id est, euāgelij etiā patriarchis promissi, nō solū nobis: occasione accepta de promissionibus dei dicit, iuramento etiam confirmatis, ut nō dubitemus nos accepturos.

Nisi benedicens benedixero tibi.

Magnum est iuramentum, quod fit per reticētiam, in quo subaudiendū est, Nō sim qui sum: id est, non sim deus, sicut nos dicimus, moriar, dispereā, aut simile.

Per duas res immutabiles.

Due res immutabiles in deo sunt, promissio et iuramentū. Nō potest se ipsum negare, qui ueritas est, &c. Et introeuntē, id est, nos ducentem in regnū dei eternum, uel potius quae ancora nō haeret in luto, sed in caelo fixa est, ubi est Christus. Alludit uero ad ingressum pontificis intra uelum, de quo infra.

CAPVT VII.

Nā hic erat Melchisedec rex Salē.

Post digressionē tam longā reuertitur ad sacerdotium Melchisedec, de quo legis Geneseos 14. Secundum cuius ordinem Christus, in psalmo iuramento dei promittitur futurus pontifex, siue sacerdos in eternū. Praefert uero hic author miris argumentis sacerdotium Melchisedec, sacerdotio legis siue leuitico, qd'er. ut secundum ordinē Aaron. Et recte figurana

ANNOT. IOANNIS POMERANI

quã indicat spiritus sanctus in psalmo, adoptat Christo secundum nomen, officium, dignitatem & uitam. Atq; hæc ex historia, quæ ita curante spiritu sancto in figuram Christi descripta est, ut neq; initium, neq; finem habuisse uideatur Melchisedec, cum tamen nemo dubitet hominem fuisse mortalem.

Qui primum quidem ex interpretatione.

Hactenus historia, nunc indicat ex historia figuram, & ex figura Christum, &c.

Rex iustitiæ, &c.

Christus non solum iustus dicitur, sed & rex iustitiæ, & ad eius regnũ spectat iustitia: est enim per quẽ iustificantur omnes credentes. Nam si rex est iustitiæ, ergo & regnum eius est regnum iustitiæ: sicut contra, regnum principis mundi, est regnum iniquitatis.

Rex pacis.

Quia pax conscientiarum sequitur statim iustificationem: & tantum sequitur quantum credere potes. Vides ergo quæ sint in regno Christi, nempe gratia & pax. Mirum uero quod sacerdotem descripturus, etiam regem facit: uerum sic etiam ordinauerat olim deus, antequam reges fierent in Israël, ut regnum cõ sacerdotio esset iunctum, & tametsi iudices erant, tamen sacerdotio etiã ipsi iudices obtemperabant. Hinc est

est quod irascitur deus, dum postulāt regē sub Samue
le: utraq; unctio illa externa & regis & sacerdotis
in Christo completa est.

Ignoti patris, ignotæ matris.

Quia in scriptura talia non scribuntur, ut figura ple
nius repræsentaret Christi diuinitatem, & eternita
tem sacerdotij. Item quia non legis mortuum, nec legi
tur eius sacerdotium institutum nec abrogatum, &
tamen erat sacerdos dei altissimi & rex Salem.

Cōsiderate uero quātus hic fuerit.

Abraham dedit decimas Melchisedec ex omnibus
spolijs: ergo Abraham agnouit eum se superiorem,
etiam iure diuino, & sacerdotē eum dei agnouit: quia
& post solis sacerdotibus dabantur decimæ secundum
legem nominē dei, & ante legem decimæ leguntur
datæ, sed deo, sicut dixit Iacob: Decimas & hostias pa
cificas offeram tibi. Itē Melchisedec benedixit Abra
hæ ut sacerdos dei, sicut habet historia: ergo & Mel
chisedec suo officio agnouit se Abraham superiorem.
Ex his sequitur, si princeps generis, & cui deus pro
miserat benedictionem, quo patre gloriatur omnes
Iudæi, est inferior Melchisedeco, ergo & totū genus
Abrahæ secundum carnem usq; ad Christum est infe
rius Melchisedeco: ergo ne Leui quidem excipitur ne
sit inferior, cui tamen sacerdotium debetur secundum
legem. Quæ quamuis non natura, aut merito sit fra

ANNOT. IOANNIS POMERANI

tribus suis maior, tamen maior est secundū dei legem,
& secundum legem accipit decimas à fratribus ut mi-
noribus. Et præterea Leui, qui adhuc egressurus erat
ex lumbis Abraham, & in carne Abraham iā erat, quan-
do Abraham dedit decimas, & benedicebatur à Mel-
chisedeco, decimatus est, & benedictus à Melchise-
deco in Abraham, qui tantum secundum legem ius
habebat accipiendi decimas, & benedicēdi populum.
His omnibus uides dignitatem Melchisedeci, & Abra-
hæ & toti generi præferri, & sacerdotiū Leuiticum
longe esse inferius. Et præterea quia hoc sacerdotium
erat in mortalibus hominibus, significabatur quan-
doq; moriturum & abolendum. Melchisedec mor-
tuus nō legitur, nec sacerdotium eius est abrogatum.
Ante Melchisedecum non erat hoc sacerdotium, nec
post Melchisedecum aliud pro eo subrogatum est: sed
solus fuit sacerdos & manet in æternum, in quo uide-
mus Christum solum esse sacerdotem, & æternum.

Próinde si consummatio per Le-
uiticū sacerdotium erat.

Imperfectum fuisse sacerdotium Leuiticū declarat,
cui necesse fuit æternū substitui in filio dei sacerdotiū,
quod secundum legem nō potest esse sacerdotiū. Nam
ex Iuda est Christus, nō ex Leui, & ex Iuda nemo po-
tuit esse sacerdos secundum legē, & præterea æternus
sacerdos scribebatur futurus, quales sacerdotes lex

Causa fuit
Incolle oratione

non potuit instituere. Et ex hoc sequitur, si abrogatum est sacerdotiū carnale: ergo abrogata est & lex carnalis per illud sacerdotium accepta. Si carnale & temporarium sacerdotium mutatum est in spirituale & eternum, ergo & carnalis & temporaria lex mutata est in spirituale & eternam. Declarabat & sacerdotium, illaq; lex suam imperfectionem: quia necesse erat, alios subinde alijs subrogare sacerdotes, quia moriebantur, & opera legis subinde repetere, & sacrificia annua reiterare, imò quotidiana: quia neminem ad perfectū deduxit lex, alioqui cessassent sacrificare, quemadmodū infra dicitur cap. 10. Idcirco dominus deus illud sacerdotium instituit quidem, sed non cum iureiurando: quia erat rursus hoc aboliturus cum omnibus quæ ad illud pertinent. Christi uero sacerdotium instituit cum iureiurando, quia eternum est, & ne mutari quidem potest. Illi sacerdotes in figurā sæpe carnalibus hostijs sanctificabant populum: hic unica oblatione semel in cruce oblata, uerè & in eternum sanctificabat populum suum, id est, credentes. Quando quæso perfectos redderent illi peccatores & mortales? Iesus autem & absq; peccato, & immortalis coram deo pontifex, semel, & absq; omni peccato sanctificat, & donat spiritum, qui est lex uitæ in cordibus nostris in eternum. Lex tunc mandabat tantum & damnabat, idcirco intolerabilis erat: nunc spiritus Christi in credentibus facit ea quæ legis sunt.

Lexi Carnalis
spiritualis
eterna

Lex uera in
non ff:

Lex in
non ff:

Lex
non ff:

Lex
non ff:

Lex uera mandabat
non ff:

ANNOT. IOANNIS POMERANI

23
non mandato, sed uoluntate. Et tantum abest, ut spiri-
tualis homo de lege queratur, ut grauius sint omnia
quae eumq; contra legem dei in se, adhuc propter uetus-
tatem carnis senserit: quae quanquam coram deo pec-
cata sunt, tamen non imputantur propter spiritum re-
pugnantem, ac damnantem, & propter nostrum sa-
cerdotem iugiter interpellantem. Hanc legis abrogas-
tionem solum intelligunt qui spiritum dei habent: si-
cut dicit Paulus: Vbi spiritus domini, ibi libertas. Re-
liqui omnes adhuc sunt sub lege & damnatione.

Talis enim decebat, ut esset
nobis pontifex.

Sacerdotium, lex, sacrificia, templum, altare, sancti-
ficatio, unctio, facta sunt omnia in Christo spiritualia,
non amplius sunt externa. Nam sacerdotium Christi
est in caelis coram patre, non super terram: ut infra ca-
pite 8. sicut nec regnum eius est ex hoc mundo.

C A P V T V I I I.

Talem habemus pontificem,
qui confedit ad dexteram.

AD figuram pontificis legis Christum produ-
cit ex praedictis, pontificem regnantem, & ad-
ministratorem in sanctis sanctorum, & tabernaculis
non manufactis, habentem sacrificium aeternum, se-